



Misc. I, 6<sup>n</sup>.

1,63

12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36



30  
*Quod felix faustumque sit!*

AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS ATQVE DOMINI,  
**DN. FRIDERICI AVGVSTI,**  
ELECTORATUS SAXON. HEREDIS,  
ETC. ETC.

DE

**CONTRISTATIONE  
SPIRITUS OBSI-  
GNATORIS.**

*ex Ephes. IV, 30.*

in incluta ad Albim Academia,

PRÆSIDE

**GOTTLIEB VVERNSDORFIO,**  
SS. Theol. Doct. & Prof. Publ.  
Extra-Ord.

*X. Cal. Octobr. A. R. S.*

clō 15 cc V.

DISSERENDO VIRES EXPERIETVR  
**M. IO. LAURENTIUS WELSCH,**  
BEROLZHEMIO-FRANCUS.

VITEMBERGÆ, PRELO GERDESIANO.

112



...  
AUSPICII  
SERENISSIMIS PRINCIPIS ATQUE DOMINI  
DR. FRIDERICI AVGVSTI  
LECTORIS Saxon. HEREDIS  
ETC. ETC.  
DE  
CONTRASTATIONE  
SPIRITUS OBSE-  
GNATORIS  
ex Epist. IV. 30.  
in iuncta ad Albin. Academia  
FRASIDE  
GOTTLIEB VERNSDORFIO  
SS. Theol. Doc. & Prof. Publ.  
FRASID.  
M. JO. LAURENTIUS WELSCH  
FRASID.  
FRASID.





Vanquam multi sint inter homines, qui vel sibi videantur, vel aliis etiam existimentur, beati, nemo tamen felicior est illo, qui Servatoris sui sanguine expiatus Deum habet propitium in coelis, huiusque adeo gratia constanter, perpetuoque perfruitur. Jactent alii honores, roburque corporis, & irritamenta malorum, divitias, in quibus fere locare solent, ac quarere felicitatem mortales: Vana sunt isthæc, dubia, & incerta, infinitisque exposita cum difficultatibus, tum periculis, & si recte examinentur, vix umbram quandam felicitatis solidæ relatura. Illum vero demum beatum numeris omnibus appellaverim, qui veniam præteritorum adeptus in Numinis sanctissimi gratia conquiescit, hereditibusque æternæ felicitatis adscriptus gloriam nullis seculis terminandam, firma solidaque persuasione, expectat. Cogitemus autem hoc loco magnitudinem bonitatis in Deo, qui, cum, per naturam, fallere quenquam non possit, & illa, quæ pollicetur, promptissime semper, exactissimeque adimpleat, Spiritus tamen sui testimonium superaddit, quo, velut sigillo quodam impresso, intra nos ipsos, de veritate promissionum certiores reddemur. Nam quæ modo cunque nobis de gratia Dei in C. J. omnibus hominibus applicanda per fidem, deque serio pœnitentium receptione in gratiam, de beneficio adoptionis artissimæque nostri cum Deo conjunctione, aliisque id genus, sacris in literis promittuntur, hæc omnia Spiritus inhabitans obsignat, in cor-

de nostro, & suo ipsius testimonio comprobat, & confirmat. Atque ut idem ille Spiritus omnis solatii Deus, & sanctioris latitiæ auctor est; sic residens in pectore hominis reconciliati cum Deo, summam animo alacritatem ingenerat, nullis vel dubitationum scrupulis, vel calamitatum molestiis minuendam. Nec enim otatur in corde a peccatorum sordibus repurgato, sanctissimus ille, hospes, sed ambulat & spatiatur in eo, & nunc mentem hominis, memoriamque, & iudicium lustrat, nunc, transitu ad voluntatem facto, fidem, spem, & charitatem explorat, nunc ad os & linguam, limina ipsius cordis, pergit. Mox amabili delicia-tus regressu revisit omnia, & dona per verbum annuntiatum concessa, velut habitaculi tapetia, pandit eleganter, & ornat, tandemque, divavitatus animam, tenerrimo eam sensu gratiæ divinæ afficit ac demulcet. Hinc gaudium, quod nullum delicatius, aut suavius fingi potest. Namque ut se-culi etiam voluptates afficiant animum, & oblectent, vere tamen non satiant appetitum, sed in ipsis deliciis insuaves saepe fiunt, & tum maxime decipiunt ac fallunt, quum omnium maxime blandiuntur. Sanctissimum vero illud, quod Spiritus adoptionis affert, gaudium adeo exquisitum est, solidumque ac firmum, ut totam mentem pertentet, ac imis quoque sensibus illabatur. Namque & in moeroribus quadam dulcedo inest, ubi vel admissorum ita meminimus, ut sinceram cordis tristitiam vera in Christum fiducia temperemus: vel presentis vitæ incommodis sic ingemiscimus, ut melioris expectatione erigamus nos ipsos, & consolemur. Quo magis danda nobis est opera, ut perseveremus in statu gratiæ, nec nostra ipsi culpa eo nos privemus solatio, quo sanctius, & impensius dari, concipi que non potest. Atque huc quidem tendit plena dignitatis sententia, quam exhibet Paulus Ephef. IV, 30. cujus verba in fontibus sic fluunt:

Μὴ λυπεῖτε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τῆ θεᾶ, ἐν ᾧ  
ἐσφραγίσθητε εἰς ἡμέραν ἀπολυτρώσεως.

*Vulgatus ita reddidit :*

Nolite contristare Spiritum sanctum Dei,  
in quo signati estis in diem redemptionis.

*Erasmus vertit :*

Ne contristetis Spiritum sanctum Dei, per  
quem obsignati estis in diem redemptionis.

*Beza :*

Ne tristate Spiritum illum sanctum Dei, per  
quem obsignati estis in diem redemptionis.

*Lutherus ita transtulit :*

Betrübet nicht den Heiligen Geist / mit  
welchem ihr versiegelt seyd / auff den Tag der  
Erlösung.

§. II. Id vero cuius facile apparet, duo maxime nobis,  
hoc in commate, consideranda proponi: alterum contrista-  
tionis prohibitionem alterum prohibitionis rationem, seu, non  
contristandi obsignationem; Quoad Prius notamus a.) quinam  
tristari Spiritum h. l. prohibeantur? Hi vero generatim sunt  
*Ephefit*, qui audiverant verbum veritatis, eidemque credi-  
derant *c. I, 12. 13.* qui gratia servati erant per fidem *cap. II,*  
*8.* & creati in Christo Jesu ad bona opera *ib. c. 10.* qui,  
cum quondam fuissent longinqui, propinqui facti erant per  
sanguinem J. C. *c. 13.* non hospites amplius & incolæ, sed  
concives sanctorum, ac domestici Dei, superstructi super  
fundamentum Prophetarum & Apostolorum *v. 19. & 20.*  
Qui non modo vocati erant ad Christum, sed digne quo-  
que vocatione sua ambulare debebant *c. IV, 1.* nec quic-  
quam habere commercii cum iis vel erroribus, vel vitis,

quibus olim immerſi fuerant non-Chriſtiani, c. 17. ſeq. Ita-  
 que jubentur deponere veterem hominem, & induere no-  
 vum c. 22. ſeq. & ſpiritu mentis ſuæ indies magis magisque  
 renovari. Quod ut perſvadeat Paulus ad ipſam ſanctitatis  
 noſtræ *Originem*, ac *fontem* eos deducit, *Spiritum S.* nemp-  
 pe, quem ceu jucundiffimum hospitem peccatis voluntariis  
 offendere ſit nefas. *Vocati* igitur omnes, & ad Deum *con-*  
*verſi*, perque veram fidem *renati* compellantur hac voce,  
 ſecus ac Zwinglianis perſuafum eſt, qui ſolos *Electos* intel-  
 ligi debere exiſtimant, cum illi Spiritum S. contriſtari non  
 debeant, qui ab eodem ſint *obſignati*, quod ipſum electis ſit  
 proprium. Sed meminiffe debebant, obſignationem non  
 eſſe *abſolutam*, ſed *ordinatam*, & a congrua mediorum ſalu-  
 tis applicatione ſuſpenſam. Quibus cum multi reſeneratorum  
 non eo, quo debebant, ſtudio utantur, obſignationis bene-  
 ficium, quo minus triſtari Spiritum poſſint, & amittere, non  
 obſtat.

§. III. Equis vero b) *is* eſt, quem contriſtari non de-  
 bent? τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον; *Spiritus Sanctus*. Vox πνεύματος  
 multifariam accipitur in Scripturis. Nunc ventum Jo. III, 6.  
 nunc animam Luc. XXIII, 46. nunc angelum, Ebr. I, 13. nunc  
 ſpectrum Luc. XXIV, 37. nunc illud quod eſt correctum, ac  
 reſtitutum in homine Gal. V, 16. 17. nunc naturam in Chriſto  
 divinam 1. Petr. III, 18. nunc doctrinam Evangelii 2. Cor. III, 6.  
 nunc doctorem ipſum, ſeu bonus, ſeu malus fuerit 1. Job. IV,  
 v. 1. 2. 3. nunc aliud quid notat, de quibus conſuli merentur,  
 Calov. T. III. Syſt. p. 698. Dannh. Hodot. phenom. III. p. m. 252. im-  
 primisque Flacius in Clave, & Ravanelus in Bibliotheca. Ac no-  
 ſtro quidem in commate non deſunt, qui per *Spiritum Sanctum*  
 illud, quod eſt renatum in homine, & *carni*, ſeu connatæ cor-  
 ruptioni, opponitur, vel ipſum quoque *hominem renatum* in-  
 telligant, quem peccatis prohæreticis, gravioribus, & ſcanda-  
 lum parituris offendere veteret Apoſtolus. Certe *Auguſti-*  
*nus* aliquot in locis contriſtationem refert ad templa Spiritus  
 S.



S. & homines pios, ut testis est sua in *Harmon. Waltherus fol.*  
 739. Sed repugnat, quod est adjectum, τὸ ἅγιον. Et si enim  
 illud, quod in renatis carni opponitur, multis splendidisque  
 nominibus exprimitur in Scripturis, nullibi tamen appella-  
 tur τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, & ipse articulus, qui est praefixus,  
 spiritum κατ' ἔξοχην sic dictum, intelligi debere insinuat,  
 quod pridem est observatum Gerbaro T. I. LL. §. 18. pag.  
 560. Adde, de illo sermonem esse spiritum, quo sumus obigna-  
 ti, quod de spiritu carni opposito, vel homine renato intelligi  
 nequit. Et si de cetero non negem, Spiritum S. ubiubi ad-  
 fit, & habitet, sive in nobis, sive in aliis, posse per peccata vo-  
 luntaria, & inde oriunda scandala, offendi, ac ejici. Notat  
 igitur h. l. tertiam in Deitate personam, a Patre, Filioque di-  
 stinctam *Psal. XXXIII, 6. Jes. XLVIII, 16. cap. LXIII, 9. 10.*  
*Matth. III, 16. Job. XIV, 16. Matth. XXVIII, 19. 1. Jo. V, 7.* Quae  
 πνεῦμα, & Spiritus, appellatur, non tam ratione essentia spi-  
 ritualis, quae ipsi cum Patre, Filioque communis est *Job. IV,*  
*24.* et si tanquam generalem, & remotam appellandi causam,  
 minime aspernamur; quam a τρόπω ὑπαρξέως, & modo,  
 quo habet essentiam, spiratione nimirum Patris, & Filii. Un-  
 de & dicitur Spiritus Domini *Genes. I, 2.* spiraculum oris Je-  
 hovae *Psal. XXXIII, 6.* Spiritus Christi *Rom. VIII, 9.* Spiritus Fi-  
 lii *Gal. IV, 6.* spiritus labiorum Christi *Jes. XI, 4. Jo. XX, 22.*  
 spiritus oris Domini *2. Thess. II, 8.* quo speciatim in loco no-  
 men *Jesu Christi* in antiquis codicibus additum fuisse obser-  
 vant Theologi *Württembergici p. 294.* e scholio quodam peran-  
 tiquo, codici *D. Athanasi in Epist. ad Serap.* adjecto teste  
*Nisano p. 800. Comment. in Johannem.* Dicitur autem πνεῦ-  
 μα ἅγιον, seu Spiritus Sanctus a ἁγιώδης, & ratione essen-  
 tia, quia essentiam habet ab omni labe, maculaque immu-  
 nem, perfecteque sanctam & integram *Jes. VI, 3. Act. XXVIII,*  
*25. 2. Petr. I, 21.* b) Διακριτικῶς, quo distinguitur a spiritu ma-  
 ligno, & impuro, *Matth. XII, 43. Luc. XI, 24.* c) Imprimis  
 vero ἐνεργητικῶς, quia sanctitatem in hominibus causatur, &

& efficit. 1. Cor. VI, 11. Tit. III, 7. Ez. XXXVI, 26. Est enim vis  
ἁγιαστικὴ, & sanctificatrix, quemadmodum Filius est sapien-  
tia perfectrix, ut Græci Veteres cum *Enlogio* loquuntur. Conf.  
*Nisan. l. c. pag. 800.* Et hac quidem notione aliquando sim-  
pliciter dicitur τὸ ἅγιον πνεῦμα, non repetito articulo, ut *Luc.*  
*XII, 12. & Jo. XX, 22.* Hoc autem in loco non sine ἐμφύσει δι-  
citur, articulo repetito, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, perinde, ut *Jo.*  
*XIV, 26. ὁ δὲ παρακλητὴς* ⊕, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, Paracletus  
autem Spiritus Sanctus, is vos docebit omnia. Enimvero ar-  
ticulus aliquando ἀναφορικὸς est, & relativus, illudque, cujus  
antea injecta fuit mentio, respicit sigillatim, denuoque osten-  
dit, ac velut in memoriam revocat, utpote *Matth I, 25.* cum  
dicitur: *non cognovit eam, donec peperisset τὸν υἱὸν αὐτῆς*  
*τὸν πρωτότοκον, filium suum primogenitum,* illum nempe fi-  
lium, cujus antea facta fuerat ab Angelo mentio. Sæpius ta-  
men est ἀποδεικτικὸς, ἢ διακριτικὸς, & certum quid, atque exi-  
mium monstrat, ut *Matth. XVI, 16.* σὺ εἶ ὁ χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ  
θεοῦ, τὸ ζῶν ⊕, *tu es Christus, Filius ille Dei vivi.* Innuit  
enim Petrus, habere se Jesum Nazarenum, Mariæ Filium, non  
pro falso quodam, aut commentitio Christo, cujus generis plu-  
rimos futuros esse Dominus ipse prædixit *Matth. XXIV, 23. 24.*  
sed pro vero illo, Patribusque promisso Messia, & æterno æ-  
terni Dei Filio. Unde additur: τὸ θεὸς τὸ ζῶν ⊕, siquidem  
*sunt dii multi, & Domini multi,* nempe λεγομένους tales, no-  
bis autem unus est Deus, Pater, ex quo omnia, 1. Cor. VIII, 6.  
qui pariter discriminis ergo dicitur ὁ θεὸς ὁ ζῶν, Deus unus  
*Matth. XXVI, 36.* Sic *Jo. X, 11.* Ego sum ὁ ποιμὴν ὁ καλὸς,  
Pastor ille bonus, quem singulari, fide ac studio gregem Israe-  
liticum pasturum esse prædixerunt Prophetæ. Et *Apo. XI, 17.*  
dicitur ἡ ἡμέρα ἡ μεγάλη, dies ille magnus, ille nimirum, qui  
reliquos omnes magnitudine rerum expediendarum supera-  
bit, & a Deo ipso, ad judicandum orbem terrarum, est desti-  
natus *Act. XVII, 31.* Quo consilio facile apparet, nostro quo-  
que in oraculo articulum usurpatum esse a Paulo, siquidem  
& sum-

& summa Spiritus dignitas, & ejus ab impuro distinctio per eundem insinuat. Dicitur autem Spiritus *Dei*, non absolute sumpto vocabulo: sic enim ipse quoque includendus Spiritus esset, & sequeretur, Spiritum sui ipsius esse Spiritum. Quod non minus absurdum est, quam, Patrem esse sui ipsius Patrem: aut Filium sui ipsius Filium: Sed sumitur *relative*, ita ut referatur ad personas, quarum est Spiritus. Est autem *Patris* Spiritus *Matth. X. 20. Jo. XIV, 16. XV, 26.* Est quoque *Filii* Spiritus, *Rom. II, 9. 1. Petr. I, 11. Gal. IV, 5.* Uterque igitur *Dei* nomine h. l. significatur. Damus tamen, *precipue* respici ad *Patrem*, non quod hujus, quam *Filii*, dignitas sit major, cum *Patris* & *Filii* una sit essentia, æqualis gloria, & coæterna Majestas; sed quia *virtutem spirandi*, & quæ hinc fluit, potestatem mittendi Spiritum S. Pater habet a se ipso, *Filius* autem per generationem a *Patre* communicatam accepit.

§. IV. Sed videamus c.) *quomodo* Spiritum illum sanctum *Dei* contristari non debeant? *Λυπεῖν* seu contristari, proprie est, quando quis alteri creando molestiam, eam, qua antea fruebatur, animi tranquillitatem eripit. Uti vero non desunt, qui h. l. per Spiritum sanctum, homines pios intelligant, quod supra monuimus; sic iidem illi τὸ *Λυπεῖν* sensu proprio accipi debere existimant. Hinc antiqua S. codicis explicatio, quæ *Glossa ordinaria* dicitur, ex Augustino: *Spiritus*, inquit, *Sanctus in se immutabilis, sed in sanctis facit gaudere de profectibus aliorum, tristari de lapsibus, quod venit ex caritate, & ideo dicitur tristari, quia hoc facit in suis.* Nec improbat hanc opinionem *Gerhardus T. I. L. de Spiritu S. §. 36. p. 575.* dum scribit: *Habitat Spiritus S. in credentibus. Quando ergo illi peccatis hominum contristati ingemiscunt, propter spiritualem illam unionem, ipse Spiritus S. contristari dicitur. Zacb. II, 8.* Quæ ratio interpretandi *fidei* saltem analogiæ ad versa non est. Uti enim *Filius Dei*, *Servator* noster, omnia sibi, quæ sancti vel *agunt*, vel *patiuntur*, appropriat, ob ar-

etisimam sui cum illis, capitis cum membris, conjunctionem, Jo. XV, 2. Rom. VIII, 1. ita ut & vivere in illis Gal. II, 20. & pati quoque Act. IX, 4. dicatur; sic & Spiritui S. in Scripturis aliquando piorum & passiones, & studia tribuuntur, ob sanctissimam eorum inhabitationem, juxta & gubernationem. Nam qui sunt Filii Dei, hos agit Spiritus S. Rom. VIII, 14. & operatur in iis ἡ τὸ θέλει ἡ τὸ ἐνεργεῖν, Phil. II, 13. ita, ut, orantibus iis, ipse clamare dicatur: Abba Pater Gal. IV, 6. Itaque cum falleret mendacio Petrum φερόμενον ὑπὸ τῆς πνεύματος ἁγίου Ananias, non Petro, sed Spiritui S. & Deo, mentitus dicebatur Act. V, 4. Commodè igitur dici potest, hos ipsum Spiritum S. tritari, qui sanctos, quos inhabitat, & moderatur, homines, peccatis suis, spurcisque sermonibus offendunt, & e statu mentis quieto in magnam animi perturbationem conjiciunt. Interim ut propior vero sententia est, quæ h. l. per Spiritum S. non hominem renatum, sed ipsum Deum immediate intelligit; sic & oraculum omnium optime exponunt, qui τὸ λυπεῖν sensu non proprio, sed figurato, & per ἀνθρώποποιεῖν quandam accipiunt. Nec enim molestia quædam, aut alacritatis jactura cadere in illum potest, qui est ἀυταρκής, Gen. XV, 1. semperque μακάριος, i. Tim. VI, 15. nec ullius omnino indiget Act. XVII, 25. & ante conditos, quos posset inhabitare, homines, sibi ipsi lætitia fuit, voluptas fuit, beatitudo fuit, prorsusque mutari nescius nec deliciando peccat, nec contristando dolet. Improperie ergo, & per modum loquendi hominibus familiarem h. l. dicitur contristari. Bene Gerhardus nofter l. c. §. 18. p. 560. Si ad personam, inquit, Spiritus Sancti locus omnino est referendus, (quod emphatica articuli repetitio videtur requirere) ἀνθρώποποιεῖν dictum hoc est intelligendum, ita, ut ex consequente intelligatur antecedens b. e. contristatio pro offensione sit posita. Homines enim offensi exacerbantur, & contristantur. Cui sententiæ accedunt e veteribus Terullianus, Ambrosius, Hieronymus, Theodorus, & Theophylactus, quos Waltherus in Harm. f. 739. laudat, quibus vero Hermam, Originem, & alios, merito suo jungimus.

§. V. Et-

S. V. Etsi vero in hoc plerique omnes consentiunt, quod  
 h. l. *tristari* idem sit, quod *offendere*, parum tamen inter se de  
 gradu, modoque *offendendi* conveniunt. Reformati enim sicut  
 conversionem & regenerationem hominis ab *absoluto decre-  
 to*, & *gratia irresistibili* deducunt, solisque *Electis* vindicant; sic  
 statum gratiæ inamissibilem fingunt, ita ut Spiritus adoptio-  
 nis ipse, & regenerationis beneficium, semel acceptum, nullo  
 modo perdi, ne quidem per peccata prohæretica, & regnan-  
 tia possit. Itaque nec Aaronem *μοσχοποιον*, nec Davidem  
 adulterum, nec Petrum abnegantem Christum, prorsus ami-  
 sisse Spiritum S. vel ipsam adoptionis gratiam, sed multatos  
 tantum fuisse adoptionis gratiæque divinæ sensu, suspensio, ac  
 intercepto velut, gaudio a Spiritu inhabitante alioqui ad men-  
 tem redundaturo, donec per veram pœnitentiam eundem  
 recuperarint. *Contristari* enim ab *Electis* Spiritum S. posse,  
*amitti* non posse. Ita Pareus in brevi repetit. doctr. Cathol.  
 Eccles. Palat. anno 1593. tb. 47. Tametsi, inquit, non raro *Electi*  
 gravissimis lapsibus Deum offendant, Spiritum S. contristent,  
 conscientiam polluant, fidem labefactent, & quantum in se est,  
 frangant, ut exempla Davidis, & Petri ostendunt: nunquam  
 tamen sic toto corde adversus Deum ruunt, ut fiant hostes, &  
 gratia ejus penitus excidant, Spiritum S. prorsus excutiant, fi-  
 dem omnino amittant: quoniam semen Dei in iis manet: quo  
 ante finem vitæ ad respicientiam certo renovantur, ne pereant,  
 Eandem in sententiam Jo. Wollebius, Theologus Basileensis, in  
 Conc. super h. l. p. 469. ed. Bas. anno 1648. Subducitur Spiritus S.  
 ad tempus, quum & ipsi quandoque pii ex infirmitate graviter  
 labuntur, & Spiritum S. afficiunt tristitia; --- Sed bene res  
 habet, non deseruntur finaliter pii, redditur ipsis prior gratia,  
 quæ NB. non secus ac humor, tempore brumali emortue radici in-  
 herens, vernali tempore revirescit, plantamque vivificat. Et  
 Leydekkerus de verit. relig. reform. L. V. c. 7. pag. 576. scribit:  
 Quamvis vere fideles plane ex sua fide excidere nequeant, pos-  
 sunt tamen objici, ubi peccant, gravissimis Dei castigationibus,



atque contristare queunt adeo Spir. S. ut gratiam sanctifican-  
tem, & consolantem quodammodo subtrahat, ipsique cadant in  
talem statum, in quo gravissimos dolores perferant. -- Gra-  
vissima quoque peccata fideles committere posse tum, certum est;  
at negamus, eos peccando excutere omnem sanctificationis habi-  
tum. Non enim peccant ut impii, quoad initium, progressum,  
& finem; peccant, non toto corde tamen; captivi potius abdu-  
cuntur, quam peccato militant; succumbunt in praelio, non in  
bello, semper superiores ad extremum pugnae. Rom. VII, 23. Galat.  
VI, 1. Sic etiam Job. Christoph. Becmannus P. III. c. 8. Anatom.  
univers. triumph. f. 130. contra Höcum disputans ad comma no-  
strum observat: aliud esse contristare, aliud expellere. Patrem  
aliquando irasci, & exardescere ob filiorum peccata, non tamen  
propterea omni eos affectu excludere. Dei charitatem  
omni humana infirmitate majorem esse. Nec legi h. l. non  
contristandum esse Spiritum S. ne recedat a nobis, sed obsigna-  
tos esse a Spiritu S. in diem redemptionis, i. e. usque ad finem  
vitae. Spiritum ergo sanctum amitti penitus non posse, quia  
sigillum usque ad finem vitae impressum maneat. E quibus  
omnibus id patet, vehementer abuti Reformatos oraculo no-  
stro, ad palliandam suam sententiam, qua docetur, Electos,  
cum veram semel fidem acceperint, & Spiritu S. usque ad  
finem vitae fuerint obsignati, non posse amittere gratiam Dei,  
Spiritum S. & Fidem. Labi quidem hos posse, & actu ipso labi  
gravissime, non tamen ad modum impiorum: neque ex toto  
corde, cum semper maneat in iis Dei semen; sed ex quadam  
infirmitate. Esse quippe illos militum instar, qui, etsi aliquan-  
do superentur in praelio, & abducantur captivi, non tamen mo-  
riantur in vinculis, aut toto succumbant bello. Perire gradum  
sanctificationis, non habitum. Itaque amittere quidem illos per  
peccata, & lapsus graviores adoptionis sensum: non tamen ad-  
optionem ipsam: & Deum irato quidem vultu eos respicere, non  
omni tamen gratia prorsus excludere: Spiritum vero sanctum  
tristari quidem, sed non expelli: subtrahere gratiam exbilan-  
tantem

*rantem & consolantem, non vero inhabitantem: cessare sensum gratia, non gratiam ipsam tolli.*

§. VI. Quæ quidem omnia, nostro iudicio, subtilius, quam verius, disputantur. Utur enim non impugnemus distinctionem, inter *adoptionis beneficium, & beneficii sensum*, quippe quem, salva adoptione ipsa, cessare posse docet experientia in tentatis: illam tamen recte applicari, & trahi ad homines peccatis contra conscientiam indulgentes, nostroque imprimis oraculo inniti, prorsus infitiamur. Renatos enim ex *infirmi- tate* quadam, non autem *toto corde* peccare: & perdere *gradum* sanctificationis, non *habitum*: Deum autem gratia justificante & renovante, (de hac enim quæritur, non de revocante) eosdem ob peccata, licet atrocía, nequaquam excludere, quibus, quæso, argumentis probabitur? Annon *toto ex corde* peccaverit, qui vel cum Davide parricidium adulterio jungit, peccata peccatis cumulat, pœnitentiam vero per totum semestrem differt; vel cum Petro tribus distinctis vicibus, præmonitus licet, Dominum abnegat, ac tandem diris seipsum execrationibus devovet? Annon omnem is sanctimoniam *habitum* perdiderit, qui mortuus est in peccatis, quod evenire cuilibet prohæretice peccanti constat ex *Rom. VI, 23. VIII, 13. Eph. V, 5. Jac. 1, 15*. Num quis infitiabitur excidere Electos *gratia* Dei posse, cum id Galatis, quos tamen in baptismo Christum induisse *c. III. & bene cucurrisse c. V, 7*. adeoque vere renatos fuisse scribit, disertis verbis tribuat Paulus *c. V, 4*? Si nullum in Electis, & vere renatis adest gratiæ amittendæ periculum, cur meruebat Paulus, ne sancti in Achaia, quos omnes fuisse reprobos, nemo, nisi improbus, dixerit, abducantur a simplicitate in Christo *2. Cor. XI, 3*? Cur ipse castigabat corpus suum, ne, cum aliis prædicaret, ipse reprobus fieret *1. Cor. IX, 27*? Cur omnes tam studiose moner, ut, qui stat, videat, ne cadat *1. Cor. X, 12*? Si *Fides amitti* nequit, cur aliqui repulsa (per peccatum regnans) bona conscientia circa fidem naufragium fecerunt. *1. Tim. 1, 19*? Quo loco non fidem hypocriticam, sed veram,

oportere intelligi, hinc patet, quod ad eandem, circa quam alii naufragium fecerant, *retinendam*, Timotheum Paulus hortatur, & insuper illa de fide sermo est, cujus iacturam *traditio in potestatem Satanae* sequitur v. 19. 20. quod, nisi de vera & salutari, intelligi nequit. Si *Spiritus S. amitti* non potest, cur tam suppliciter orat Davides, ne sibi subtrahatur *πνεῦμα ἡγίασμενον*. Ps. LI, 13? ubi LXX. perapte scripserunt: *Μὴ ἀντρανέλης, ne iterum auferas*, nempe ut antea, quo tempore non egerat pœnitentiam. Ipse fatetur *Beza, in respons. ad Colloq. Mompelgard. pag. 2.* Davidem fuisse periturum, nisi resipuisset: & *Leydekkerus* cit. loc. admitit, *Electos ineptos fieri per peccata ad presentem ingressum in beatitudinem celestem: nec obtenturos esse, nisi per sensibilem pœnitentiam.* Num vero is fuerit periturus, qui vel veram fidei scintillulam habet? Num is ineptus fuerit ad adeundam hereditatem celestem, qui nec gratiâ Dei excidit, nec fidem & Spiritum S. amisit? Tot nempe difficultatibus premitur illud de gratia inamissibili, & renatorum non interrupta in fide perseverantia commentum. Dixeris cum *Parco: At semen tamen Dei manet* in renato, & non potest peccare, quia ex Deo natus est. Respondetur: *Manet in eo semen Dei, quoad ipse manserit renatus.* Qua talis enim non peccat, nec peccare potest mortaliter; sed qua corruptus est, & carnis irritamentis obsequitur. Excipit *Leydekkerus: succumbit renatus in praelio, non in bello.* R. Si succumbit, excidit gratia Dei, si non *finaliter*, saltem *totaliter*. At, inquit *Beermannus, Charitas Dei humana infirmitate est major.* Resp. *Charitas Dei non est absoluta, sed respectiva: nec ita extollenda est gratia, ut deprimatur iustitia.* Infirmitates condonat *Charitas*, Mediatoris precibus provocata; malitiam punit *iustitia* gravitate scelerum irritata. Et licet Deus neminem hac in vita lapsum excludat gratia *revocante*, excludit tamen, qua talem, gratia *justificante & renovante*. Quisquis igitur renatorum graviter, & prohaereticè peccat, is non modo *suboffendit* Deum, sed & fidem & Spiritum



tum S. prorsus expellit, quod ipsum *contristandi* nomine h. I. significatur.

§. VII. Mirum vero, *Hülsemannum* quoque nostrum in *Præl. ad Form. Conc. Art. V. Sect. V. §. V. p. 374. seq.* contristandi vocabulum non de *expulsione* Spiritus S. sed de *offensumcula* quapiam accepisse. Circa *distinctionem*, inquit, peccati *actua-*  
*lis in regnans, & non-regnans, mortale & veniale, adverten-*  
*dum est, quanquam unumquodque peccatum mortale, naturali*  
*suo demerito, expellat inhabitantem Spiritum S. non possit tamen*  
*affirmari, quod illico unicus ille actus evadat in peccatum re-*  
*gnans, & actu secundo, ac semper, expellens Spiritum S. seu sen-*  
*sus gratia justificantis. Regnans enim peccatum non tam a*  
*vehementia, & violentia superantis appetitus, quam a frequen-*  
*tia, & continuatione domini sic denominatum est. Lapsus in*  
*peccatum contra conscientiam non illico dicitur peccatum re-*  
*gnans, sed duratio, & continuatio, quando stimulant affectui*  
*vel plane non resistitur, vel tepide & frigide resistitur, nec vita-*  
*tur peccandi occasio per fugam loci, temporis, personarum, ad*  
*peccati iterationem, vel continuationem, irritantium. Ex quo*  
*infert, amitti Spiritum S. non tam per vehementiam peccati,*  
*quam per frequentiam, & probat partim ex Rom. VII. quo ipsi*  
*etiam renatis tribuantur peccata contra conscientiam, partim,*  
*ex descriptione peccati regnantis, quod Rom. VI, 12. 14. 16. 19.*  
*VIII, 4. 5. 8. 9. 11. 13. Eph. IV, 19. V, 7. 11. & alias, semper moram*  
*quandam, & continuationem involvat. Negat quoque Pe-*  
*trum, & alios in peccata quidem contra conscientiam prola-*  
*psos, sed quasi stante pede, & in ipso momento ad Deum per*  
*veram poenitentiam reverbos, cum ipso sensu adoptionis, ad*  
*tempus deficiente, ipsum etiam inhabitantem Spiritum ad-*  
*optionis amisisse per unicum actum peccati mortalis, illico per*  
*poenitentiam agnitum. Tandemque cum Scriptura inter con-*  
*tristationem inhabitantis Spiritus, & ejus destructionem distin-*  
*gvendum esse contendit.*

§. VIII. Quæ sententia est a Reformationum opinione non  
mul-

multum videatur recedere, differt tamen in eo, quod a.) non negat *promiscue*, renatos amittere gratiam Dei, & Spiritum S. posse, quod faciunt Reformati: quin potius docet, Aaronem, juxta & Dividem, in peccata contra conscientiam lapsos, gratia Dei & fide penitus excidisse; sed quod per *unicum* peccatum prohaereticum Spiritus expellatur, id negat, cum hoc non fiat per *peccatum simpliciter*, sed per peccatum *regnans*, cujus tamen ratio non in *sola appetitus vebementia*, sed actuum illicitorum *continuacione* consistat. b.) Deinceps *causam non-amissi Spiritus adoptionis non ab absoluto decreto, & gratia inamissibili cum Reformatis*, sed a *pravisione divina subssecutura poenitentia*, hujusque cum ipso peccato individua conjunctione, Mediatoris autem perpetua intercessione, derivat. Quicquid vero sit hujus, omnino probare illam non possumus. Primo enim 1.) obstat illud Jacobi I, 15. *Peccatum ubi conceperit, parit mortem*. Quando igitur renati abjecta poenitentia non repugnant, sed indulgent vitiosis concupiscentiis, & eas scientes volentes perficiunt, committunt peccata mortalia. *Vbi enim non est poenitentia, ibi nec fides, nec gratia est. Et quando poenitentia abjicitur, simul & Spiritus S. excutitur, & fides amittitur*. Unde *Apologia recte dicit*: oportet fidem & esse, & crescere in poenitentia. Ideo *Christus dicit*: Nisi poenitentiam egeritis, omnes peribitis *Luc. XIII. 3. ut Chemnitius monet P. III. LL. cap. 3. de discr. pecc. mort. & ven. p. m. 109. a. 2.*) Ipse *Hulsemannus* fatetur, Petrum, si illa ipsa hora, qua abnegavit Christum, vivis excessisset, æternum periturum fuisse; negat tantum, illam conditionem temere esse ponendam. Num vero is potuisset perire, qui *sensum* quidem *adoptionis*, & gratiæ, non ipsum tamen *beneficium* perdidisset? Numne, ut salvi queamus fieri, non modo adoptio ipsa, & gratiæ *status*, sed *sensus* quoque requiritur? Non puto. 3.) Quod potissimum est: hoc pacto daretur *peccatum aliquod contra conscientiam*, a sciente & volente commissum, & tamen *veniale*, quod analogiæ fidei nostræ,

nostræ, & S. Scripturæ adversum est. Vid. *Rom. I. 32. VI, 23. Jac. I. 15.*  
 Non officit a.) quod Paulus sibi, etiam renato, peccata voluntaria  
 tribuit, *Rom. VII.* Sunt enim distingvendi concupiscentiæ gradus,  
 præcunte Scriptura *Jac. I. 24.* Ubi nominatur α.) ἰδία ἐπιθυμία, seu  
 cuiusvis inhærens, & originaria concupiscentia. β.) τὸ πειράζειν, seu  
*tentatio* illius concupiscentia, quando nos incipit sollicitare ad ma-  
 lum. γ.) τὸ δολοῦζειν, seu invitantes illecebræ, queis utitur, ad ho-  
 minem decipiendum, concupiscentia. δ.) τὸ ἐξέλκειν, quando vo-  
 luntas per incendia malorum affectuum transversa rapitur ad obse-  
 quium. Huc usque renatus etiam pervenire potest, idque Paulus  
 cit. l. insinuat, dum dolet, ac queritur, interdum se captivari.  
 Quia tamen repugnat, manet in Christo, & nihil in ipso est con-  
 demnationis *Rom. VIII, 1.* Quando autem ε.) accedit τὸ συλλογι-  
 εῖσθαι, concipere, quod est malum propositum, seu machinatio mali,  
 jam excussa est pœnitentia & fides, adeoque ζ.) sequitur τὸ τιμνεῖν,  
 seu opus ipsum, quo perpetrato mors adest. Vid. *Chemnit. l. c.* Esto  
 b.) ad peccatum regnans non modo superantis appetitus *vehemen-*  
*riam*, sed *continuacionem* etiam requiri: sufficit, quod continuatio,  
 vel frequentia, non est de essentia & ratione formali peccati *mor-*  
*ealis*, siquidem per unum, unius hominis, peccatum mors introivit  
 in mundum, *Rom. V, 18.* Neque etiam peccatum *mortale*, & regnans  
 sunt unum & idem, quod *Hulfemannus* videtur sensisse: cum illud  
 de *actuali* peccato: hoc de *originario* prædicetur, quod a Königio,  
 Qvenstedio, aliis, jam pridem est observatum. Neque etiam c.) *ma-*  
*culacionem & destructionem* templi Spiritus S. eo gradu, quo putat  
*Hulfemannus, differre* crediderim, sed potius *equipollere.* Quod  
 probo ex 2. *Cor. VI, 16. & VII, 1.* ubi de maculatione sic disputat Pau-  
 lus, quod nos 1.) sejungat a Christo, iustitia, luce, a parte fideli:  
 copulet autem cum Belial, iniustitia, tenebris, & parte infideli. *cap.*  
*VI, 15. 16.* tum vero 2.) cum applicatione & fructu promissionum di-  
 vinarum consistere nequeat c. *VII, 1.* quod denique 3.) sanctimoniam  
 cum timore Dei adversa sit, commate eod. Quæ omnia non  
 quid *destructione* templi *inferius*, sed *ipsam destructionem* important.

§. IX. Perseveramus igitur in ea, quæ Nostris est recepta Do-

C

ctori-

toribus, opinione atque sententia, & τὸ λυπεῖν de tanti momen-  
ti offensa accipimus, quam non modo adoptionis *sensus*, sed *ipsius*  
etiam adoptionis jactura, non modo gratiæ inhabitantis *suspensio*,  
sed totalis etiam *amissio* sequatur. Primo enim 1.) jubet Apostolus,  
ne quis det causam tristitiæ Spiritui S., adeoque loquitur de pecca-  
tis crassioribus, & mere voluntariis, quorumque ommissio est in  
potestate renati. Hujusmodi autem semper, & perpetuo, in se,  
suaque natura, mortalia sunt, & expellunt gratiam Dei, Spiritum  
S. & fidem, quod supra docuimus. 2.) Delicta, quæ tristari Spiritu  
Sanctum dicuntur, hoc ipso capite v. 17. 20. 24. 28. ad *statum*  
*priorem* in gentilismo remittuntur, qui haud dubie omnis gratiæ  
divinæ, saltem justificantis, renovantis, & inhabitantis, fuit *ex-*  
*pers*. 3.) Hæc contristatio *Jes. LXIII, 10.* dicitur *exacerbatio Spiritus*  
*S.* & conjungitur cum hujus *inimicitia*, quæ statui gratiæ, & inha-  
bitationis repugnat. 4.) Sicut gaudium est in *caelo* super uno pec-  
catoris resipiscente, & ipse *exbilaratur* Spiritus S. ob *statum gratiæ*  
ab illo *recuperatum*, quod constat ex *Luc. XV. commatibus 7. 10. 20.*  
*32.* inter se collatis; sic idem ille *contristatur* ob *statum gratiæ* per  
peccata prohæretica *amissum*. 5.) Illud tanquam *causa tristitiæ*  
allegatur, quod ob signationi adversum est, & impressam a Spiritu  
S. imaginem, charitate ac fide refulgentem, delet ac abolet. Ipsa  
igitur contristatio *effeetive*, in totali gratiæ inhabitantis ac reno-  
vantis amissione consistit. Atque hoc ipsum statuunt interpretes  
plerique omnes, qua veteres, qua recentiores. *Origenis* impri-  
mis verba, quin tota subjiciam, temperare mihi non possum: *Non*  
*inhabitatur*, inquit, *Spiritus S. in corpore subdito peccatis, etiamsi ha-*  
*bitavit aliquando in eo. Non enim potest Spiritus S. consortium pa-*  
*ti, & societatem spiritus mali. Certum est enim peccati tempore*  
*adesse in corde uniuscujusque spiritum malum, & agere partes suas.*  
*Cui utique cum locus datur, & recipitur a nobis per cogitationes ma-*  
*las, & concupiscentias pessimas, contristatus, & ut ita dicam, co-*  
*angustatus fugatur de nobis Spiritus Sanctus. Propter quod & A-*  
*postolus sciens hæc ita accidere, monebat, dicens: Nolite contristare*  
*Spiritum S. in quo signati estis in die redemptionis. Vid. homil. VI. in*  
*Num.*

Num. cap. XI. p. 193. ed. Basl. Nec prætereunda nobis h. I. est Scri-  
 ptoris antiqui sententia, qui sub *Hermæ* nomine Pastorem vulgavit,  
 L. II. p. 747. edit. Barth. Utraque res, ait, ledunt Spiritum S. dubi-  
 tatio, & tristitia. Dubitatio, quia non successit actus ejus: & tri-  
 stitia, quia fecit iracundiam Spiritui. Aufer ergo tristitiam a te,  
 & noli offendere Spiritum, qui in Te habitat, ne roget Dominum &  
 recedat a Te. Spiritus enim Dei, qui datus est in carnem, tristitiam  
 non sustinet. &c. E recentioribus faciunt nobiscum *Erasmus in Pa-*  
*raphrasi, Cornel. a Lap. ad b. l. Calvinus ipse apud Marloratum b. l.*  
*Si nos, inquit, prostituimus ad aliquot inquinamentum, jam Spiri-*  
*tum S. quasi ex hospitio ejicimus. E nostris Hunnius, Balduinus,*  
*Matthesius in b. l. Höeus in Beantwortung der XVII. Fragen: Men-*  
*zerus in Exeg. Art. XII. A. Conf. Dorscheus in Pentad. Disp. II. Aufz.*  
*p. 601. ed. Gleib. Danb. in Hodof. p. 861. D. J. Henningius in Disp. ad*  
*b. l. Gryphisw. anno 1694. habita, & alii. Belle imprimis Gerbar-*  
*dus noster T. I. LL. de Sp. S. §. 36. p. m. 575. Loquitur, inquit, Scri-*  
*ptura de Deo juxta sensum, & captum nostrum. Quando Deus pu-*  
*nit, Scriptura pronuntiat ipsum irasci: quando auxilium diu dila-*  
*tum tandem confert, Scriptura pronuntiat ipsum expergisci, cum ta-*  
*men Deus nec turbetur ira, nec oculis somnum capiat unquam: ita*  
*quoque contristari dicitur Spiritus S., quando peccatis ex cordis habi-*  
*raculo expellitur.*

§. X. Vidimus hucdum seriam contristationis prohibitionem.  
 Attendamus

II. ad prohibitionis rationem, quam in solidum ab Obsignatio-  
 nis beneficio arcessit Apostolus. In hujus autem consideratione  
 respiciemus α) ad Obsignantem, qui Deus est, & speciatim Pater.  
 Sic enim Paulus 2. Cor. I, 21. Qui nos confirmat una nobiscum in  
 Christum, & qui nos unxit, Deus est, ὁ καὶ σφραγισάμενος ἡμᾶς,  
 qui etiam obsignavit nos, deditque arrham Spiritus in cordibus no-  
 stris. Quo loco Deus confirmans, ungens, obsignans, a Christo,  
 ceu causa meritoria, per quem, & Spiritu S. ceu sigillo & arrha-  
 bone, quo obsignamur, manifesto distingvitur. Et *Ephes. I.* tota  
 ἡμῶν salutis, inde ab ipso Electionis decreto, tribuitur Patri,



tanquam agenti Principali; commate autem 13. seq. *Obſignans*  
 Chriſto, & Spiritui S. denuo contradistinguitur. Neque tamen id-  
 circo vel *Filius*, vel *Spiritus S.* ab ipſo obſignandi actu excluditur.  
 Non *Filius*, quia obſignamur *Spiritu ſancto* DEI. Filius autem eſt  
 verus Deus 1. *Job. V. 17.* & *Spiritus* non minus eſt *Filii*, quam *Patris*,  
*Spiritus*, *Rom. VIII. 9.* *Gal. IV. 6.* Non *Spiritus ſanctus*, quia eſt  
 opus aliquod ad extra, omnibus in Deitate perſonis commune.  
 Hæc ipſa etiam obſignatio Spiritus S. partim miſſionem, partim  
 inhabitationem ſupponit. Quid? quod τὸ ἐν ᾧ aliquando in Scri-  
 pturis *cauſam efficientem* manifeſto inferit, ut *Luc. IV. 1.* ubi Chri-  
 ſtus ἐν τῷ πνεύματι i. e. a Spiritu S. motus & ductus in deſertum ve-  
 niſſe dicitur. Nec obſtat, quod Spiritus S. appellatur *Sigillum*, &  
*cauſa obſignandi materialis*, ut ita loquar. Diverſus enim con-  
 ſiderandi modus, hoc, quicquid eſt, ſcrupuli, facile eximit. Et  
 quemadmodum in S. Coena Chriſtus & *boſpes* eſt, qui excipit, & *ci-  
 bus*, qui apponitur; Sic Spiritus S. & *obſignat* renatos, & ſeipſo ob-  
 ſignat. Interim obſervanda eſt cauſa, cur, quum hæc Opera ſint  
 communia, ſic tamen diſtribuantur, ut unum detur *Patri*, alter-  
 rum *Filio*, tertium *Spiritu ſancto*. Pater enim eſt, qui *obſignat*: Filius  
 per quem obſignamur: Spiritus *ſigillum*, quo obſignamur, cum tamen  
 non minus obſignet filius, & Spiritus S. quam Pater. Cauſa nimirum  
 eſt *diſtinctio* perſonarum. Quanquam enim una omnium ut natura,  
 ſic quoque huius beneficii conferendi vis, & poteſtas eſt, æternus ta-  
 men Pater eandem habet a ſeipſo, Filius autem & Spiritus S. a Patre  
 communicatam. Nec incommode *Sedaneſes P. II. diſp. Theol. f. 770.*  
*tanti myſterii ſpectes*, extra dubium Pater *Judicis pro tribunali ſen-  
 tentiam ferentis*: Filius *vadis*, & *ſponſoris*, *juſtitia paternæ pro ſuo-  
 rum injuſtitis ſatisfacientis*: Spiritus S. *archæonitis*, & *quæſi Can-  
 cellariæ celeſtis in cordibus Electorum beneficium hoc obſignantis*, *viceſ*  
*ſuſtinent Ephes. I. 13.*

§. XI. Illud vero prætereundum non eſt, *Filium* (β.) præter  
*cauſam efficientem* notam, etiam rationem *cauſæ meritoria* ſuſtinere.  
 Idque Paulus docet *Eph. I. 13.* his verbis: ἐν ᾧ (Χριστῷ) in quo, poſt-  
 quam

quam credidistis, obsignati estis Spiritu promissionis sancto, qui est arrabato hereditatis nostrae. Quanquam enim hoc  $\epsilon\upsilon\ \omega$  nostro etiam in oraculo de Spiritu sancto, adeoque de sigillo, inveniatur, facile tamen apparet, has voculas *Eph. I, 13.* de causa obsignationis meritoria intelligi oportere. Quo enim sensu, & modo ibidem Deus Pater nos elegisse *c. 4.* adoptasse *c. 5.* charos sibi reddidisse *c. 6.* in Christo dicitur, eodem sensu ac modo *v. 13.* in eodem nos dicitur obsignasse. Elegit autem, adoptavit, charosque nos sibi reddidit in Christo, seu causa meritoria: Eodem ergo sensu, & modo nos quoque obsignavit in Christo. Paulus igitur isto  $\epsilon\upsilon\ \omega$  duo complexus est. Primum extra Christum non esse expectandam salutem, quia nisi per, & propter hunc nemo ab aeterno electus, nemo in tempore redemptus, adoptatus, in gratiamque receptus fuerit. Deinceps, neminem hujus obsignationis divinae revera compotem fieri, nisi qui  $\tau\eta\ \epsilon\lambda\pi\iota\delta\iota$ , vel vera fiducia fuerit, in Christo, eidemque, seu membrum capiti, insertus. *Jo. I, 18. Eph. III, 17.*

§. XII. Neque vero Filius tantum, sed & Spiritus S. duplicis causa officio in obsignatione divina fungitur. Esse enim auctorem, & causam Efficientem hujus beneficii, una cum Patre, & Filio, supra monuimus: Eundem vero simul esse  $\gamma$  causam materialem, & Sigillum, quo obsignamur, perspicue docet Apostolus, cum dicit: *Nolite tristari Sp. S. Dei,  $\epsilon\upsilon\ \omega$ , quo obsignati estis.* Satis enim constat,  $\tau\delta\ \epsilon\upsilon$  apud Graecos, etiam melioris notae Scriptoris, tum varie accipi, tum sapissime instrumentum, & causam materialem notare. Quapropter valde absurdus est *Casp. Ernest. Driller*, homo fanaticus, & novandi libidine coecus, qui in translatione N. Test. quam biennio abhinc Amstelami multo ineptissimam vulgavit, piaculum prope credidit,  $\tau\delta\ \epsilon\upsilon$ , alia vocula, quam in exprimere. Itaque cum legitur *Matth. III, 11. Βαπτίζω  $\epsilon\upsilon\ \upsilon\delta\alpha\tau\iota$ : c. V, 13.  $\epsilon\upsilon\ \tau\eta\ \alpha\lambda\iota\sigma\theta\eta\sigma\epsilon\tau\alpha\iota$ : c. VII, 2.  $\epsilon\upsilon\ \omega\ \kappa\epsilon\lambda\mu\alpha\tau\iota\ \kappa\epsilon\theta\eta\tau\alpha\iota$ ,  $\kappa\pi\theta\eta\sigma\epsilon\delta\alpha\iota$ : *Rom. XV, 6.  $\epsilon\upsilon\ \epsilon\upsilon\ \sigma\acute{o}\mu\alpha\tau\iota\ \delta\omicron\delta\epsilon\alpha\ \zeta\eta\tau\epsilon\ \tau\omicron\upsilon\ \theta\epsilon\omicron\upsilon$*  &c. reddidit is germanice: *Ich tauffe im Wasser: worinn wird man salzen? in welcherley Gericht ihr richtet: in einem Munde lobet ic. & nostro in loco: in welchem ihr versiegelt seyd: inepte proterus, & repugnante**

cum Spiritus S. mente, tum ipsius vernaculi sermonis indole & natura. Nam ne Græci quidem interpretes literas Ebr. præfigi solitas לַבּ eodem semper modo acceperunt, ac sensu. *Trillevus* autem Græcorum illud ἐν, eadem fere vocula semper reddidit in vernaculo, maluitque videri interpres *Germanico-barbarus*, quam *vere Germanicus*. Religiosum vero hominem, qui nefas credit, ad *idiotismos* sermonis nostri respicere, & in adornanda versione non fontium *sententiam* exprimi, sed *verbum verbo* reddere existimavit. Præclare scilicet merentur de publico lucubrationibus suis fanatici, quas si eadem, qua vulgantur, promptitudine receperint omnes, brevi efficient, ut non pro *brutis hominibus*, quod illi se præstituros jactant, sed pro *hominibus brutos*, seu, ut mitius loquar, pro sobriis stolidos habeamus, facturi nempe intelligendo, ut olim nihil intelligamus. In alia quadam versione N. T. quæ *Offenbaci eodem anno 1703.* prodiit: (ferax quippe seculum hoc est versionum Germanicarum, & magno in negotio Sanctuli habent, ut *Lutheranam*, uberiorem quippe, & nimis Germanicam, simpliciorum excutiant manibus,) sed cui præfigere non puduit auctorem, suæ sibi forsitan absurditatis conscius, redditur τὸ ἐν ᾧ, *durch welchen* / *sententia tolerabili* quidem, sed mentis auctoris non congrua, ut qui non quo *auctore*, sed quo *sigillo* obsignati simus, hac formula voluit aperire. Itaque τὸ ᾧ non ad *Deum*, sed *Spiritum sanctum* referimus, eodemque non causam *efficientem*, sed *materialem*, sive *sigillum* innui arbitramur. Recipimus nos ad locum nostro *παραλλήλων*, qui tantum non sedes est stupendi hujus mysterii *Ep. 1. 13. 14.* Ἐν χριστῷ πιστεύσαντες ἐσφραγίσθητε τῷ πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας τῷ ἁγίῳ. In Christo, *posteaquam credidistis*, obsignati estis Spiritu promissionis sancto. Ubi, quod nostro in commate dicitur τὸ πνεῦμα τὸ ἁγιον, dicitur πνεῦμα τῆς ἐπαγγελίας, & cum a Patre, *qui obsignat v. 2. 11. 12.* tum Filio, *per quem* obsignamur, *v. 13.* sollicitè admodum, tanquam sigillum, quo obsignamur, distinguitur. Dicitur autem *Spiritus promissionis*, quia prolixè promissus fuerat in V. T. dandus sub *Novo Joel. 11, 28. Rom. IX, 8.* Uti enim *Palæstina* dicitur γῆ ἐπαγγελίας



λιας Ebr. XI, 9. quia fuerat promissa Israelitis; sic eadem de causa  
 h. l. Spiritus S. dicitur Spiritus promissionis. Neque tamen infi-  
 tior, eum appellari hoc nomine, intuitu *objecti*, circa quod occu-  
 patur, & quia promissiones divinas de gratia Dei, remissione pec-  
 catorum, & vita æterna, ad vividam consolationem, applicat omni-  
 bus, & confirmat. Jo. XIV, 16. Rom. VIII, 16. 17. Uti enim *Lex*, in se  
 spectata, nihil aliud est, quam rigorosa eorum, quæ vult fieri  
 Deus, *exactio*; sic *Evangelium* est eorum, quæ Deus gratis con-  
 ferre velit, liberalis *promissio*, Rom. IX, 8. Unde & doctrina ejus di-  
 citur ἡ πρὸς τὰς πατέρας ἐπαγγελία, promissio ad Patres facta,  
 Act. XXVI, 6. & Promissio Legi adæquate opponitur, Galat. III, 18.  
 Porro quemadmodum Fides promissionis receptio est, Act. II, 39. 41.  
 sic fideles appellantur τέκνα τῆς ἐπαγγελίας, filii promissionis, seu  
 hæreditatis promissæ per fidem compotes futuri. Gal. III, 14. 16. IV,  
 28. Quia igitur Spiritus S. non modo *fidem* in cordibus audientium  
 accendit, sed & *promissiones* Evangelio comprehensas applicat ho-  
 minibus, & obsignat, eo nomine recte dicitur πνεῦμα τῆς ἐπαγ-  
 γελίας, vel Spiritus Promissionis. Eadem de causa, & in eodem  
 hoc capite c. 14. arrhabo appellatur, ab Ebr. רב ער promissit, spo-  
 pondit, oppignoravit, fidejussit, Gen. XIV, 32. Proverb. VI, 1. XXVII,  
 13. Jerem. XXX, 21. inde רב ער, & ער רב Prov. XVII, 18. & Gen.  
 XXXVIII, 17. Græc. ἀρραβῶν, quæ vox *generatim* notat quodlibet  
*Symbolum*, quo confirmatur sponsio aliqua majoris securitatis, vel  
 certitudinis, ergo. Itaque notat a.) *pignus*, quo debitor credi-  
 tori de solvenda pecunia cavet, Nehem. V, 3. vel quo quis cavet alteri,  
 de præstanda, & exhibenda promissa re, cujusmodi erat annulus, ba-  
 culusque Iudæ, Thamari pignoris loco datus, quoad misisset  
 hoedum, quem erat pollicitus, Gen. XXXIX, 17. sq. b.) *Sponso-  
 rem* notat, qui suam pro alio fidem interponit, & obligat, Gen.  
 XLIII, 9. XLIV. v. antep. c.) *Obsidem* in bello, ut 2. Reg. XIV. d.)  
*Arrbam*, seu pignus, quod sponsus sponsæ dat, in fidem futuri  
 matrimonii, einen *Wahlshaß*. e.) Denique in *empeione*. & vendi-  
 tione arrhabo est, ἡ ταῖς ὠνάς περὶ τῶν ἀνεμμένων ὀδαμένη πρῶ-  
 τη καταβολή ὑπὲρ ἀσφαλείας, pecunia, quæ in emptionibus pri-  
 mo

mo dependitur ad fidem faciendam, nos ea, quæ stipulati sumus, numerata pecunia certo redempturos: seu, pars solutionis, quæ fidem facit totius summæ persolvendæ, ut *Suidas in Lexico*, & *Stephanus in Thesauo Gr. L.* explanant. Sic *Plutarchus in Galba T. I. 00. f. 1060.* ἐφθάει, inquit, προελιφώς ἀρραβώσι μεγάλως τὸν Οὐβίνιον, *Uvinnium jam occuparat magna arrhabonis loco numerata pecunia*: pollicitus nimirum, se ei, re perpetrata, reliquam, quam pactus erat, persoluturum. Ab *Hesychio* exponitur non modo προδομα, sed etiam ἀγυσεον, *initialis pecunia*, seu *pars anticipata solutionis*, Angeld / Handgeld / vel ut *Chrysostronus serm. II. in cap. I. ad Ephes.* declarat μέγ@ τῶ παντός, seu *pars pretii*, quæ in antecessum, ut loquar cum vulgo, solvitur, quo constet, reliquas portiones certo numeratum iri. Quæ omnia facili negotio accommodari possunt ad munia Spiritus sancti. Hic enim 1.) *pignoris* loco datur, ad tanto majorem divinis promissionibus fidem faciendam. Deinceps 2.) *sponsor* est, non quidem *hominum* apud *Deum* in acquirenda salute: hoc enim *Filii* est; sed *Dei* apud *hominum* in eadem salute applicanda. Simulac enim nobis applicatur promissio salutis per verbum & sacramenta, Spiritus S. quasi vadium obit, ac spondet, Deum nobis fidelem fore, & accurate servationum promissa. Quin & 3.) *obsidis* quodammodo sustinet rationem. Pulcre *Chrysostronus l. c. Κοιθάτες εἰ πόλεμ@ εἶη ἔθ' εἰρήνης, ἢ τῶν σπουδῶν ἐνέχυρον, ἢ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ ἐξ αὐτῶ, sicut cum bellum est gentibus adversus gentes, dant obsides: ita & Deus dedit Filium suum, pacis, ac fœderum pignus, dedit & Spiritum S. qui est ex ipso.* Idem quoque 4.) sanctissima *arrha* est, quam *sponsus* cœlestis dat *sponsæ* suæ h. e. *Ecclesiæ* *Hos. II. 19.* quo caveat ipsi de nuptiis, quas celebrabit cum ea in cœlis *Apoc. XXI. 9.* nondum enim apparuerunt nuptiæ agni *Apoc. XIX. 7.* Denique 5.) habet se quoque ceu *pars solutionis*, & μέγ@ τῶ παντός, ut *Chrysostronus* loquitur. Nunc enim *Filii Dei* sumus, sed nondum apparuit, ἔπο ἐφινεσώθη, quid erimus *i. Job. III. 2.* Ambulamus per fidem, non per speciem *2. Cor. V. 7.* & salvi quidem sumus,

mus, sed spe; *Rom. II, 24.* Habemus hic *λύτρωσι*, non *ἀπολύτρωσι*. Obsignamur tamen Spiritu S. *εἰς ἡμέραν ἀπολυτρώσεως*, eoque consilio ac fine, ut per internum illius testimonium de plena felicitate, tandem adeunda in cœlis, certiores reddamur, donec totam ac solidam possideamus, quod eleganter pro more ducit *Höpsner. disp. XI. de Iustif. p. 749.* Spiritus ergo sanctus sanctissimum illud *Sigillum* est, quo obsignamur: idque non modo quoad *substantiam*, sed *dona* quoque sua spectatus. Uti enim cuius sigillo certa quædam insculpta *imago* est, (unde *Svetonius in Augusto cap. 50.* tradit: in diplomatibus, libellisque & epistolis fingendis eum initio Sphinge: mox imagine Alexandri: novissime sua, Dioscoridis manu sculpta, usum fuisse;) sic huic ipsi sigillo, sapientiæ, sanctitatis, justitiæ, velut imago quædam insculpta est, quæ ubi imprimitur homini renato, dicitur *σφραγίζεσθαι* vel obsignari a Spiritu sancto, ut mox audiemus.

§. XIII. Notamus igitur porro δ.) *obsignationis actum*, quem infert τὸ *ἐσφραγίσθητε*. *Σφραγίζεν* est ἀπὸ τῆς *σφραγίδος*, quæ vox generatim significat *notam*, vel *sigillum*, & nunc *proprie*, nunc *improprie* sumitur. *Proprie* sumpta literis, tabulæ, ovibus, lapidi, monumento, aliis, nec una de causa, imprimitur. Facit enim α.) ad rem nobis *appropriandam*, vel, ut latinus loquar, asserendam. Hoc sensu Sealtheil dicitur *σφραγίς*, vel sigillum Dei, *Hagg. II, 23.* quia eum sibi Deus vindicaverat, ceu servum electum, quem singulari complectebatur gratia, & instar annuli signatorii perpetuo radiantis in dextra, ferebat in oculis, cujus denique ministerio, velut sigillo quodam, ad exercendam, omnibusque probandam potentiam utebatur. Facit β.) ad *confirmandum*, & fidem rei dubiæ faciendam. Ideo enim Jezebel literas, ad Senatum Jerusalemicum mariti sigillo munitas misit, ne quis forte de veritate illarum, & ἀβεβητῶς subdubitaret. Facit γ.) ad unum ab altero *discriminandum*, quemadmodum *Ezech. IX, 4.* omnes illi, qui super abominationibus Hierosolymitanis dolebant, leguntur notati signo, quo possent discerni ab aliis. Quo loco utrum τὸ *ἡ τεχνικὸς* pro ultima litera alphabeti, quod *Junio, Schickardo, B. Mayero,*

aliisque pervasum est: an vero *appellative*, ut loqui amant, pro signo quodam in genere, accipi debeat, videantur *Sixtus Senensis L. II. Bibl. S. p. 143. P. Molinai Vates L. IV. c. 18. & Königius in Vindic. Bibl. L. CXI. pag. 662. seq.* Denique facit d.) ad *castodiendum* & *munendum*, unde sigillo carceri impresso cavere volebat Darius, ne quis læderet Danielem *cap. VI, v. 17.* Pontifices autem, & Pharisæi obsignato monumento, ne corpus Domini auferretur. *Matth. XXVII, 66.* *Improprie* autem accepta vox *σφραγίς* sensu nunc *Biblico*, nunc *Ecclesiastico* sumitur. Priori sensu id omne notat, quo quid in regno gratiæ, tanquam *signo* quodam, *probatur*, *confirmatur*, vel etiam ab alio quodam *distinguitur*. Quia igitur *Circumciso*, & *Israelitas* peculium esse Dei *ostendebat*, & *promissionem Abrahamo datam confirmabat*, & ejusdem posteros a reliquis generibus *discernebat*, hinc *Rom. IV, 4.* dicitur *σφραγίς*, vel sigillum *justitiæ fidei*. Paulus autem *Ecclesiam Corinthiacam* nominat *σφραγίδα*, vel sigillum *Apostolatus sui*, quia, ostentando eam, omnibus poterat *fidem facere* suæ in docendo & fidei, & *industria*. Divina denique, & *nescia falli prænotio fidei*, quæ & *Electos distinguit* a reprobis, & illos Deo *appropriat*, & de futura salute certos *reddit*, dicitur *σφραγίς* *2. Tim. II, 19.* *Ecclesiastico* sensu penes Græcos crebro usurpatur pro *signo Crucis*, ut docet *Beveregius in Synod. Magno & annotat. ad Can. VI. Concil. Chalced.* Uti enim sigillum proprie sic dictum ad *defensionem*, & *custodiam* adhibetur; sic *Crucis* etiam *signo* uti solebant Veteres ad arcenda *terriculamenta*, & se, atque suos a potestate *Satanæ* defendendos, quod recte notat ad hanc vocem, *Rob. Stephanus in Thes. Græc.* Hinc *Tertullianus de Corona Militis*: *Ad omnem*, inquit, *progressum atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad vestitum, & calcitatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, & sedilia, quacunque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.* Et *Cbrysoſt. bomil. VIII. in Coloss. c. III. si fidelis es*, inquit, *signa Te.* Dic: hæc arma habeo sola: hoc medicamentum, aliud autem nescio. Et *bomil. XXI. ad Pop. Antioch.* (quæ est Catechesis ad illuminandos) sub finem, svader, ne unquam sine illo verbo  
exca-

exeamus domo in publicum: ἀποτάσσομαι σοι Διάβολε, ἔ συν-  
 τάσσομαι σοι Χριστέ. Si hanc vocem proferamus, & simul *Crucis*  
*signum* fronti imprimamus, pollicetur fore, ut nec homo malus occur-  
 rens, nec ipse Diabolus lædere nos possit. Conferatur omnino *Conr.*  
*Rittersbusf. in Not. ad Salviani L. VI. de Gubern. Deip. m. 61. edit. Brem.*  
 Nec improbavit ritum seipsum Cruce signandi Lutherus, dummo-  
 do absit opinio *meriti & necessitatis*, & fiat, ut excitemus nos ipsos  
 ad recolendam *memoriam* Christi pro nobis crucifixi, & ad agen-  
 das Deo *gratias*, quod Filium suum pro nobis dederit in mortem,  
 mortem autem crucis: tum vero, ut meminerimus, Christianos  
 nos esse, Christoque obnoxios, quibus nihil cum Judæis, vel aliis  
 Crucis Christi hostibus, esse commercii debeat. *Phil. III, 18.* De-  
 nique ut oblectemur Diabolo, tanquam *virtute Crucis*, ac mortis  
 Christi prorsus insuperabiles. Quo spectat illud *Prudentii, bymno*  
*VI. καὶ ἡμερ. Crux pellit omne crimen; fugiunt Crucem tenebrae:*  
*Tali dicata signo mens fluctuare nescit.* Quem ad locum videantur,  
 quæ notavit eruditissimus *Weitzius*. Porro quia hoc ipsum *Crucis*  
*signum* præcipuus erat ritus in *Baptismo*, juxta & *Ordinatione*; si-  
 quidem in illius administratione *frons*, in *hujus*, *caput* cruce insi-  
 gniebatur, de quo illustris locus est apud *Chrysostomum in Mattb.*  
*Λόγ. ὑδ. T. II. p. 346. ed. Savil. hinc utrumque & Baptismus & Ordina-*  
*natio* Græcis dicebatur *σφραγίς* De *Baptismo* id sigillatim testa-  
 tur *Gregorius Nazianz. Orat. XL. de laude Baptism. f. 638. δῶρον, in-*  
*quit, καὶ δῶρον, χάρισμα, χρίσμα, φωτισμα, ἀφάρσις, ἐνδυμα,*  
*λυτρὸν παλιγγενεσίας, σφραγίδα &c.* *Baptismum donum voca-*  
*mus, gratiam, unctionem, illuminationem, incorruptionis indumen-*  
*tum, regenerationis Lavacrum, SIGILLUM &c.* Idque, quod mox  
 subjicit, ὡς συντήρησις, ἔ τῆς δεσποτείας σημεῖωσις, quia *confer-*  
*vatio est, ac dominationis significatio.* *Ordinatio* vero & *σφραγίς*,  
 idem sæpe sunt apud *Veteres*, quia saltem in *Clericorum, inferioris*  
*ordinis*, utpote *Lectorum, Cantorum, Acoluthorum, aliorumque*  
*inauguratione*, (*Episcopis enim, Presbyteris & Diaconis* tribuitur  
*χειροτονία*) ritus signandi cruce præcipua, si non sola, fuit *χειροτό-*  
*νία* penes *Græcos*. Quod constat ex *Balsamone*, qui in *notis ad Ca-*

non. XIV. Syn. Nic. Lectoris Ordinationem nominat σφραγίδα, ad Canon. vero VI. Syn. Chalced. de Lectoribus ita scribit: Φοιμὲν, ὅτι καὶ οἱ ἀναγιγνώσκοντες κληρικοί εἰσι, καὶ χειροθετοῦν ἀρχιερέων ἐχέουσι, διὰ χειρὸς ἀρχιερέως δηλαδὴ σφραγίδα. Idemque ex Epistola Innocentii ad Decentium c. 3. & 6. & Marco in Vita Porphyrii Gazensis Episcopi, docet Valesius in Not. ad Euseb. f. 134.

§. XIV. Ceterum ut ἀπὸ τῆς σφραγίδος dicitur τὸ σφραγίζεσθαι, ita ut originis nihil est aliud, quam nota impressa insignire, vel signo impresso notare, proprieque rebus materiatis, & quantis tribuitur. Sensu vero Ecclesiastico, idem est, quod Cruce signare, & quoniam hoc in Baptismo, & Ordinatione, ut supra ostendimus, imprimis, perpetuoque fiebat, hinc baptisari apud Euseb. L. VI. H. C. c. 43. ubi de Novato disputat, dicitur σφραγισθῆναι. Quin & Latinis, qui baptisabantur, iidem dicebantur consignari. Hinc Ambrosius, seu quisquis auctor est eorum librorum, in Cap. IV. Epist. ad Ephes. scribit: Apud Aegyptum Presbyteri consignant, si praesens non fuerit Episcopus. Et Auctor Quaest. V. & N. T. inter Augustini OO. editus qu. Cl. In Alexandria, inquit, & per totam Aegyptum, si desit Episcopus, consignat Presbyter. Et quemadmodum baptisati saepe numero Graecis appellantur ἐσφραγισμένοι; sic Latinis insigniti, notati, cruce notati, vel etiam chrismate innotati, dicuntur. Eadem de causa Christianis notatas frontes tribuit Prudentius Hymno IX. Καθήμε. n. 80. Dic tropeum passionis, dic triumphalem Crucem: Pange vexillum, notatis quod resulget frontibus, quia nempe inungens Episcopus, intincto in Chrismate pollice, notam Crucis in fronte designabat, ut bene ad hunc locum observant G. Fabricius & Victor. Giselinus. Nec desunt, qui hoc ipso nomine ad illud Ezech. IX, 4. & Ap. VII, 3. veteres respexisse existiment, de quibus erudita est G. Königii in Vindic. p. 673. sententia: Non alienos, inquit, nos profitemur a conjectura Cl. Schikardi, qui eruditioribus considerandum relinquit, num forte illud signum, quo pii super iniquitatem populi gementes notati sunt Ezech. IX, 14. aut character in frontibus Electorum, Apoc. VII, 3. fuerit Graecorum χ, quia olim etiam Sacerdotes V. T. tali Crucicula, Graecorum χ representante, fuerunt inuncti, atque hoc

hoc modo ad spirituale suum officium confirmati. Quemadmodum  
 apud eundem Maimonides sequentibus verbis testatur: Quomodo  
 ungebant sacerdotem? affundebant Oleum capiti ejus, & illiniebant  
 inde super oculos, ad speciem  $\chi$  Græci, in  $\omega\alpha\omega\omega$  pag. 27. Nos in di-  
 vinando progredimur, & ulterius sic colligimus: quia pii ac fideles  
 non modo in hac vita coram Deo regale sacerdotium, 1. Petr. II, 9. sed  
 & olim in altera sacerdotes Dei, & Christi ipsius futuri sunt, Apoc.  
 XX, 6. quis scit, annon Deus hujusmodi  $\epsilon\pi\sigma\phi\rho\alpha\gamma\iota\sigma\mu\omega\sigma\iota$  eos ab aliis  
 segregare, in spirituali officio collocare, & tam presentis, quam fu-  
 turi sui status, commonescere aque voluerit? Hæc Königius erudi-  
 te ac sobrie. Etenim in antiquiore Ecclesia non modo baptisandi,  
 sed etiam sacris muniis initiandi, cruce signabantur in capite, ea-  
 demque de causa, perinde ut illi, dicebantur Græcis  $\epsilon\sigma\phi\rho\alpha\gamma\iota\sigma\mu\epsilon\upsilon\omega\iota$ ,  
 siquidem  $\chi\rho\epsilon\sigma\tau\alpha$  nihil aliud erat, quam Crucis in capite  
 consignatio, notante ad Balsamoni Nomocanonem Beveregio fol. 13.  
 Quod quidem adeo verum est, ut in una Euchologii Græci editione,  
 de Ordinatione Presbyteri, legatur:  $\pi\omega\iota\omega\upsilon\tau\epsilon\iota\varsigma\ \sigma\omega\upsilon\rho\epsilon\varsigma\ \epsilon\pi\iota\ \tau\eta\upsilon\ \kappa\epsilon\upsilon\phi\alpha\lambda\eta\eta\ \alpha\upsilon\tau\epsilon\varsigma$ : in altera vero:  $\sigma\phi\rho\alpha\gamma\iota\sigma\tau\alpha\varsigma\ \alpha\upsilon\tau\omega\upsilon\gamma\prime$ . Conf. Valef.  
 Not. ad Euseb. f. 135. In Sacris autem literis nunc adhibetur de Deo,  
 ut Jo. VI. v. 27. ubi Deus Pater dicitur  $\sigma\phi\rho\alpha\gamma\iota\sigma\tau\omega\iota$  obsignasse filium,  
 i. e. miraculis, quæ Christus edidit, verum esse Mundi Mes-  
 siam ostendisse: Nunc de piis, qui adoptati in filios, dato cœlesti  
 pignore Spiritui S., non modo distinguuntur ab improbis, sed &  
 de collatæ gratiæ amplitudine? præsentis status dignitate, futuræ  
 felicitatis immota spe, certiores redduntur, & adversus omnes fu-  
 tores carnis, Satanae ac Mundi hoc pacto præmuniuntur.

§. XV. Jam quaritur, qua notione nostro in Oraculo sumatur  
 $\sigma\phi\rho\alpha\gamma\iota\zeta\epsilon\delta\omega\iota$ ? Ac illud quidem oppido liquet, proprie non  
 oportere intelligi. Signati enim sumus non tanquam pecudes in  
 corpore, ut Judæi signo Circumcisionis; sed, tanquam filii promissio-  
 nis, in anima, ut recte monet ad h. l. Cornel. a Lap. f. 520. Bellar-  
 minus igitur L. II. de Sacr. c. 20. & J. Tirinus in 2. ad Cor. I. Fr. Swa-  
 rezius P. III. qu. 3. art. 3. Cornel. a Lap. ad h. l. aliique Pontificii, ex-  
 plicant de charactere indelebili per Baptismum impresso, quem propugn-

pugnant Synodus Florentina in Instruct. Armen. & Tridentina Sess. VII. can. 9. Sicut enim hominibus certi status datur quandoque certus ornatus, vel signum in corpore, vel veste, quibus cognoscuntur, esse illius status, vel Sectæ; ita enim per Sacramenta, quibus homo ponitur in certo statu, dicunt, imprimi immediate a Deo quoddam Spirituale signum in anima suscipientis Sacramentum, quo cognoscatur, suscipientem esse in tali statu, ut rem explicat *Cbennit. in Exam. Conc. Trid. P. II. f. 25.* Hoc signum dicitur *character indelebilis*, quia, eorum opinione, manet in anima etiam post mortem, nec potest ipsis etiam flammis infernalibus extinguvi, aut ab ipso Papa, nisi quoad exercitium, deleri. Etsi vero non negemus, *gratiam Christi internam*, quæ signum aliquod spirituale, & character animæ impressus, sano sensu dici potest, per baptismum fidelibus conferri, facileque demus, Baptismum esse *notam, & signum*, laxiore sensu, quo Christiani a non-Christianis commode distingvantur: Negamus tamen præter externam aquæ lotionem, & internam Spiritus S. gratiam, Dei filii, in Baptismo, collatam, imprimi animæ characterem, qui sit qualitas absoluta, non relativa, quique hominem reddat aptum ad Dei cultum, Christoque conformem. Quicquid enim Pontificii tali de characterē disputant, id inane commentum, &, ut *Sedanenses* nominant *P. I. Thef. disp. f. 754. anile delirium est*, Scripturæ & antiquitati ignotum, nec ulla vel auctoritate, vel ratione, suffultum. Quod quidem adeo verum est, ut ne ipsi quidem saniores Pontificii audeant diffiteri. Itaque *Durandus L. IV. Sentent. Dist. IV. Qu. 1.* scribit: *Characterem non esse aliquid reale distinctum ab anima, sed solum respectum rationis, seu Ens rationis.* Quam sententiam hæresin Lutheranam sapere *Bellarminus* putat l. c. Et *Biel*, qui disputationes Scholasticorum de characterē in unam summam *Dist. VI. Qu. 2. in IV. Sent.* collegit, pluribus probat, vocabulum *Characteris*, in hac quidem significatione, nec in Scriptura, nec in vetustis Ecclesiasticis Scriptoribus, ac ne *Lombardo* quidem, extare, additque nec rationem necessariam demonstrare, nec evidentem auctoritatem Patrum probare, hujusmodi Characterem statui oportere, tandem-



demque sub finem ait: *omnia, quæ de Characterẽ dicuntur, pro magna parte voluntaria sunt, & modica ratione suffulta.* Tridenti a Patribus diris quidem devoti sunt, quotquot hunc characterem negarent, sed cum *Dominicus Soto*, tum temporis, Scripturæ, juxta & Ecclesiæ testimonio eundem niti, contenderet, alii tantam ei amplitudinem non concedebant, quod neque *Gratianus*, neque *Magister Sententiarum* ejus meminisset, imo *Jo. Scotus* diceret, *neque Scripturæ, neque Patrum etiam verbis, necessario esse ponendum, sed solus Ecclesiæ auctoritate*, ut refert *P. Svavis in Hist. Conc. Trid. L. II. p. 273.* peropportune subjicit, *illam rationem Scoto familiarẽ esse, aliquid humaniter, & officiose negandi.* Denique hoc dogma, non Scripturæ auctoritate, sed Ecclesiastica traditione, in niti sagacissimus quisque inter Pontificios facile concedit. *Nostro* saltem ex *Loco* probari non posse, ingenue fatetur *Vasquius in P. III. Thomæ Disp. 134. c. I.* nec non *Alanus de Sacram. in genere c. 45.* quin ipse *Thomas* ad quem ille se recipit, *P. III. Qu. 63. Art. 3. f. 131.* non de characterẽ, sed *gratia, qua quis deputetur ad gloriam futuram*, oraculum nostrum intelligit. *Bellarminus* vero, qui eodem, ad defendendum Characterem, abutitur, hoc uno refelli potest, quod, ipsius judicio, is omnibus, seu credant, seu non credant, imprimitur, quum tamen textus de solis credentibus propalam loquatur. *Conf. Gerhard. in Conf. Cathol. L. II. Spec. P. II. Art. XI. c. 2. p. 844. seq.*

§. XVI. Commodissime igitur, ac simplicissime de Spiritus S. donatione, & imaginis donati, in anima, mente ac corde hominis fidelis, impressione accipitur. Comparantur enim Ephesii cum epistola quadam vel tabula, quæ, antequam deferretur ad eum, cui inscripta est, obsignatur. Nam & ipsi erant *Epistola, legenda & intelligenda ab omnibus hominibus, subministrata & scripta ab Apostolo, non atramento, sed Spiritu Dei viventis, non in tabulis lapideis, sed tabulis cordis carnis 2. Cor. III, 2.3.* Sigillum ergo impressum est ipse Spiritus sanctus: imago sigilli est Spiritus S. in doles & natura, per sapientiam in mente, justitiam & sanctitatem in voluntate, castitatem & munditiam in appetitu inferiore refulgens.

Verbo:

Verbo: Est complexus donorum gratia sanctificantium, cum interno Spiritus S. testimonio, quod simus Dei Filii, conjunctus. Hoc patet a.) ex ipsa obfignationis vi & natura, liquidem obfignando imago sigilli, quæ sigillo, qua tali, essentialis est, rei obfignandæ ab obfignante imprimitur, & cum sigillo imago, quæ in sigillo inest, signandæ rei accommodatur. Apte, ac rotunde Calovius Noster T. III. LL. de Sp. S. pag. 607. Uti imprimitur imago Sigilli obfignando; sic vobis imprimitur Spiritus S. imago, justitia & Sanctitas vera. b.) Ex Spiritus S. ἐνεργεία, atque officio, qui, cum donatur a Deo, non otiosus affidet ei, cui donatus fuit, sed in eodem inhabitans, efficaciter operatur, imprimendo ei naturam suam, non ratione *essentia*, sed ratione *donorum*, perinde, ut sigillum sui imprimit imaginem rei signatæ, & suam tamen sibi essentiam servat. Hinc charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, castitas, dicuntur *fructus Spiritus Gal. V. v. 22.*

§. XVII. Ceterum quibus *civilis & propria*, iisdem quoque de causis, obfignatio *Spiritualis & Mystica* adhibetur. Obfignatur enim fideles & renati 1.) quo Deus illos sibi *vindicet*, &, ut cum vulgo loquar, *appropriet*. Sicut enim mercator (quo similiter Zanchius illustrat in *Comment. ad Eph. c. 1. T. VI. OO. f. 25.*) postquam coëmit merces, eas proprio sigillo obfignat, ut, cum tempus est, illas exportandi, eas a ceteris discernat &, aliis relictis, suam eas domum exportet; sic & Deus Spiritu suo obfignat fideles, quo doceat, & *confirmet*, eos ad se propius pertinere, heredes evehendos. *Solidum enim stat fundamentum Dei, habens signaculum hoc: τὴν σφραγίδα ταύτην, Dominus novit suos: non theoretice tantum, sed & practice, notitia approbationis, promotionis, remunerationis: quo sensu alios non novit Matth. VII, 23. 2. Timoth. II, 19. Apoc. VII, 13.* Obfignantur 2.) quo *distingvantur* ab aliis. Nam τὸ σφραγίζεσθαι proprie de *Ovis* dicitur, quæ notis insigniri solent, quo suas quisque agnoscat, ut opportune observat *Stephanus in Thef. T. III. fol. 186.* Sic igitur fideles quoque, & Sancti,

Sancti, donis Spiritus S. per fidem vitamque se exerentibus, velut *charactere quodam notantur*, & a reliquis hominibus distinguuntur. In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei sitis, si *charitatem habueritis inter vos mutuam*, dicit Servator Jo. XIII, 35. Obsignantur 3.) quo ab insidiis Satanae, carnis & mundi *tuti praesentur & custodiantur*. Qui enim filii Dei sunt, hos agit, ducitque Spiritus S. Rom. VIII, 14. Cumque fortis armatus custodiat atrium suum, quo ea, quae possidet, sint in pace: annon, qui multum illo est fortior, templum quoque suum custodiet ac defendet? Luc. XI, 21. 22. Certe *virtute Dei custodimur*, *Φερεμέθα*, h. e. velut praesidio quodam militari fortissimo (haec enim vocabuli vis est 2. Cor. XI, 32.) munimur, contra spiritualium hostium invasiones, idque *per fidem ad salutem* 1. Pet. I, 5. Et *Pax Dei Φερεεί* *custodit* corda nostra Pbil. IV, 7. contra omnis generis calamitates, atque insidias, Pulcre Greg. Naz. Orat. XL. quae est de baptismo: *Τὸ τοί καὶ ζῶντι μέγιστον εἰς ἀσφάλειαν πρόβουτον γάρ ἐσφραγισμένον ἐϋραδίως ἐπιβλέουσαι τὸ δὲ ἀσίμωντον ἡλέπτως εὐάλωτον*. Obsignantur denique Spiritu S. quo 4.) *confirmentur & certiores reddantur*. Et quidem a.) de *ἀνθεντικῶ*, & *infallibilitate Scripturae S.* divinaque illius *auctoritate atque origine*. Neque enim certitudo divinitatis Scripturae pendet a ratione naturali, vel ab enthusiasms, & revelatione quadam immediata, sed ab *institis revelationi characteribus*, & virtute, quam Spiritus S., perpetuo in eandem influxu, cum ea communicavit. Vti enim Sol non modo *alia omnia*, sed & *seipsum* manifestat, & aperit, seque splendere nullo negotio probat omnibus, & ostendit; sic & Scripturae phosphorus non modo *alia*, sed & *sui ipsius divinitatem*, demonstrat, & nisi impediatur, animis legentium, audientiumque persuadet. Et ut locutio humana non modo aliud aliquid, sed & seipsam audienti notificat 1. Sam. XXIV, 17. XXVI, 17.; Ita & sermo Dei non modo *argumenta Sacra*, sed & *seipsum*, quodque *Numinis*, non *hominis*, verbum sit, recte at-

tendenti confirmat. Adest quippe verbo, & perpetuo adest, Spiritus S., divinaque prorsus ratione testatur, quod Spiritus, seu verbum ipsum 1. Cor. II, 12. est veritas 1. Job. IV, 1. 2. siquidem mentem legentis, vel audientis, de divinitate, & infallibili veritate eorum, quæ legit, vel audit, ita convincit, & voluntatem flectit, ut firmissima quadam, & cui falsum subesse nequeat, persuasionem existimet, non hominis voluntate allatam esse prophetiam, sed locutos esse sanctos Dei homines *Φερομένους υπό τῆς πνεύματος ἁγίου.* 2. Petr. I, 21. Hinc Paulus ad Thesalonicensis scribit: *Evangelium nostrum fuit erga vos non per sermonem solum, ἀλλὰ ἔν ἐν δυνάμει, ἔν ἐν πνεύματι ἁγίῳ, ἔν ἐν πληροφωρίᾳ πολλῇ,* verum etiam per virtutem, & per Spiritum S., perque certitudinem multam 1. Ep. I, 5. Et c. II, 13. *accipistis sermonem a nobis, quo docum discubatis, non ut sermonem hominum, sed, sicut est vere, sermonem Dei, ὅς ἔν ἐνεργήτων ἐν ὑμῶν τοῖς πιστεύουσιν, qui etiam operatur in vobis creantibus: quomodo vero? nunc animos convincendo: nunc corda compungendo, nunc voluntatem ad amorem & obsequium inflammando* Act. II, 37. Luc. XXIV, 32. Hæc est interior illa Spiritus S. obsequatio, qua quis non fide fallibili, & humana, sed infallibili & divina, id quod proponitur, ipsissimum esse Dei verbum, per se ipsum habet. Quo de non incommode ex Coccejo de potentia Scripturae c. Walenburch. Leydeckerus de verit. Relig. reform. p. 563. scribit: *Absque testificatione Spiritus S. interna si quis sit, nemo fidem divinam habet, etiamsi nulla non argumenta, quibus divinitas S. S. adstruitur, & quidem omnia in cumulo sint talia, ut fidem divinam efficiant, & per fidem divinam deum vere excipiantur, & a nobis obsequentur. Nam quando subsistitur citra hanc internam testificationem, quam Spiritus reddit sibi, & verbo suo, per fructus suos in nobis, omnis, omnis inductio animi, quæ in homine quocumque per argumenta efficitur, non est fides divina proprie, sed vel certitudo, quam habent convicti, etiam dolentes se esse convictos, aut opinio, veritatem ad lasciviam, &*  
pra-

pretextum, & consilium improbitatis transferre cupientis. Nempe requiritur hæc Spiritus S. operatio, ut immediatio fidei, & obedientie a Deo, & sensu S. S. remaneret. b) Certiores nos reddit Spiritus Obsignator de statu gratiæ præsentis, siquidem testatur non solum esse aliquos, sed nos esse filios Dei, heredes, & coheredes Christi, adeo efficaciter, ut sine formidine, quæ est a Spiritu servitutis, clamemus: *Abba Pater Rom. VIII, 15. 16.* Est enim, ut B. Danbæuerus loquitur in *Hodof. p. m. 931. Si- gnium aliquod obsignativum non tam rei, quam personæ, quo per- sona signatur, ut sciat, se in numerum eorum adscriptam, ad quos jus aliquod pertinet: sicut aureum torquem rex largitur suis equitibus, ut certum habeant, non tantum esse aliquos equites, quibus aliquid sit privilegii, sed ad se nominatim id pertinere.* Itaque non modo scire, sed & videre, & sentire nos facit, quæ a Christo donata sint nobis *Psal. XXXIV, 9. 1. Cor. II, 12.* effunditque amorem in corda nostra *Rom. V, 5.* & securos nos esse jubet de gratia Dei, sanctissimaque nostri cum ipso communionis *2. Petr. I, 4.* Denique hanc nobis mentem ingenerat, ut sciamus, & nos esse in Christo Jesu *1. Job. V, 20.* & Christum esse in nobis. *2. Cor. XIII, 8.* Tandem c) nos obsignat, ut certiores simus de nostra perseverantia in fide, & salute certissime consequenda. Etsi enim in filios Dei non cadat certitudo securitatis, quæ omnem sollicitudinem curamque excludit, cum minime omnium deceat, gratia Dei ad libidinem luxuriamque abuti, & ita existimare, quia dona Dei sint ἀμεταμέλητα, excidere nos gratia, & statu regenerationis non posse: Cadit tamen in eosdem certitudo fiducia, quæ, si non sollicitudinem, & metum, saltem anxietatem & desperationem excludit, siquidem Spiritus S. per sententias divinas credentibus impressas testatur, illos non modo oblati in verbo beneficiis præsentibus frui, sed & futuris, si perseverent in fide, fundati ac stabiles, & mediis divinitus constitutis utantur, suo tempore certissime fruituros. Ostendit enim iis α.) Gratia Dei magnitudinem, a qua neque

mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque dominationes, neque præsentia, neque futura nos poterunt separare *Rom. II, 39.* Ostendit  $\beta$ .) *Meriti & intercessionis* Christi pondus, & *amplitudinem*, qui perpetuo interpellat pro nobis, nostra ne fides deficiat *Luc. XXII, 32.* Ostendit denique  $\gamma$ .) *Promissionum* divinarum *certitudinem*, siquidem in Christo Jesu omnes promissiones sunt *τοῦ ἁγίου ἀγαίου*, & certis certiores. Sed qui nos *confirmat*, & qui *unxit* nos, Deus est,  $\delta$  ἁγίου ὁ Θεὸς ἡμῶν, qui etiam *obsignavit* nos, deditque arrham Spiritus in cordibus nostris *2. Cor. I, 20. 21.*

§. XVII. Sed quousque tandem durare debet hæc ob-  
signatio? εἰς ἡμέραν ἀπολύτρωσεως: usque ad diem *redemptionis*. Varie in Scriptura sumitur ἀπολύτρωσις; Aliquando notat redemptionem *acquistam*, seu liberationem a jure prætenso, ut loquitur *Hülsemannus in Praelect. ad Brevitar. c. XV. p. 1212. OO. postb.* seu ab occupata tyrannide Diaboli, utpote *Matth. XX, 28. Act. XXVI, 18. Ebr. II, 10. 14. 15.* & imprimis *Ebr. IX, 12.* ubi Christus dicitur, per sui ipsius sangvinem, *eternam* invenisse redemptionem. Tum vero sumitur pro redemptione jam *applicata*, seu *actuali liberatione*, a tyrannide Diaboli, & reatu, dominioque peccati, quod fit in justificatione, & renovatione. De hac sermo est *Luc. I, 74. II, 38. Col. I, 13. 2. Tim. II, ult.* Differt autem a superiore, quod illa spectat ad *omnes*, & tam late patet, quam late patet genus humanum, Diabolo per lapsum obnoxium, nec ullam quoque, ex parte hominis, *conditionem* includit. Hæc vero ad *Israelitas* solos pertinet, vel etiam *Christianos*, fidelemque applicationem supponit. Tandem quoque significat *futuram purificationem* ab omni, tum fomite peccati, tum inde oriunda miseria, *liberationem*, qua sententia legitur *Luc. XXI, 28. Rom. VIII, 23.* & imprimis *1. Cor. I, 30.* ubi in beneficiorum Christi laudatione ultimo loco commemoratur. Hæc *Chrysostomo Serm. II. in cap. I. Eph.* dicitur καθαροὶ ἀπολύτρωσις, pura & perfecta redemptione, quæ tunc dabitur, ὅτεν μήτε ἀμαρτήματα ἢ, μήτε ἀνθρώπων

πῖνοι, μήτε ἀναμίξ μετὰ πάντων ὄμεν, quando neque peccata fuerint, neque affectiones, & infirmitates humane, neque promiscue fuerimus cum omnibus, etiam impiis. Dicitur hæc ἀπολύτρωσις τῆς περιποιήσεως. *Eph. I, 14.* vel quia spectat ad eos, quorum est περιποιήσις, quemadmodum *Rom. II, 25.* circumciso ponitur pro circumcisis; vel quia conjuncta est cum possessione hereditatis, aut fruitione vitæ æternæ. Conf. *Höpfn. Disp. IX. de Justif. p. 747.* Quibus ita disputatis facile apparet, non posse h. l. intelligi ἀπολύτρωσιν, Christi sanguine acquisitam. Hujus enim dies fuit emortalis nostri Servatoris, qui uti per proprium sanguinem semel introivit in sancta, æterna redemptione inventa; sic novus hujus redemptionis dies expectari non debet. Ultra vero e duabus posterioribus sit intelligenda redemptio, non eadem omnium est opinio. *Baldwinus*, e Nostris, *Zanchius*, *Marloratus* & alii e Reformatis, ἀπολύτρωσιν de liberatione actuali a potestate Diaboli & regno peccati, in die lustrico, seu baptismali accipiunt, cui sententiæ, observante *Cornelio a Lap.* etiam *Hecumenius* fuit adstipulatus. Hoc pacto ἡμέρα τῆς ἀπολύτρωσεως fuerit dies regenerationis nostræ, vel baptismatis, τὸ εἰς vero, quod Græcis non est insolens, vicem sustinerit τῷ ἐν, ut talis emergat sententia: *Obsignatos nos esse Spiritu S., illo die, quo fuerimus a peccati reatu, ac dominio, in baptismate liberati.* Alii contra per ἀπολύτρωσιν intelligunt liberationem non modo actualem, sed & plenam, & numericis omnibus absolutam, non modo a peccati reatu, & dominio, sed & a fomite, ac inde oriunda miseria. Horum igitur opinione τὸ εἰς in primo, proprioque sensu reliquitur, & notat terminum ad quem. Per ἡμέραν vero ἀπολύτρωσεως intelligitur vel dies felicitis, sanctique excessus, respectu singulorum; vel finis mundi, respectu omnium salvandorum. Cui sententiæ patrocinantur *Vulgatus*, *Erasmus*, *Beza*, *Lutherus*, *Höpfnerus*, *Carnelius a Lap.* & optimi quique interpretes. Nobis, hoc de argumento sollicitè cogitantibus, visum fuit,

neutrā sententiam improbare simpliciter, cum neutra regula fidei, vel indoli sermonis adversa sit. Verum enim est, illo die, quo aquis lustricis aspergimur, *liberari* nos a peccati reatu, juxta & regno: *obsignari* quoque a Spiritu S., qui tum sanctitatis suæ justitiæque imaginem nobis *imprimit*, eoque & nos Deo addicit, quasi *propriis reddit*, & a ceteris hominibus non-Christianis *distinguit*, & adversus furores mundi & Sathanæ nos *munit*. Interim nec illud negare possum, *posterio-rem* mihi sententiam verioremi videri. Primo enim α.) vocabuli ἀπολύτρωσις tanta vis est, ut non modo *aliqualem*, & *inchoatam*, qualis in baptismate obtingit; sed omnino *perfectam* ab omni malo liberationem involvere videatur. β.) Particula εἰς *usque* ostendit *terminum temporis ad quem*, utpotē *Luc. XII. 19.* habes bona multa *νέμενος εἰς ἔτη πολλὰ*, ad annos multos. Et cap. *XIX. 5.* ne εἰς τέλος, ad finem usque veniat, & sugillet me. Nec non *1. Thess. I. 10.* venit in illos ira, εἰς τέλος. i. e. ἀχρι τῆς τέλους. Sic *Jo. XIII. 1.* dilexit eos, εἰς τέλος, ad finem usque. γ.) Scopus Apostoli, & ratio *inferendi*, ab obsignationis sine petita, id exigunt. Ideo enim vetat tristari Spiritum, & offendere, quia eodem non ad breve tempus; nec eo consilio, ut eundem expellendo contristent, sed eo potius acceperint, ut ad ultimum usque vitæ finem, & diem plenæ consummatæque redemptionis, quo nullum sit amplius metuendum gratiæ amittendæ periculum, eundem retineant. δ.) Probamus sententiam nostram ex loco *Parallelo Epb. I. 13.*: Obsignati estis Spiritu promissionis sancto, qui est arrhabo hereditatis nostræ εἰς ἀπολύτρωσιν τῆς περιποιήσεως, i. e. *usque dum in libertatem a Christo partam & acquisitam omnino vindicemur*, ut B. Gerhardus explicat in *1. Pet. II. 9. pag. 212.* Unde *1. Thess. V. 9.* dicitur περιποίησις τῆς σωτηρίας, *consecutio salutis*, & *2. Thess. II. 14.* περιποίησις τῆς δόξης, seu *consecutio gloriæ*. Quæ tamen non ita accipi debent, quasi, qui semel sint obsignati, amittere fidem, & Spiritum S. & prolabi e statu gratiæ



tia non possint, quod Reformatis persuasum est. Neque enim  
*Obsignatio* majus beneficium est ipsa *regeneratione*, qua tamen  
excidere per peccata prohetica posse homines, supra osten-  
dimus. Et vero quid opus fuisset tam sollicita admonitione  
Apostoli, si obsignati semel Ephesi perdere beneficium illud  
non potuissent? Quapropter etsi sigillum divinitus animæ no-  
stræ impressum lædi temere, detrahique non *debeat*, ipso ta-  
men facto per malitiam hominis detrahi *posse*, recte olim mo-  
nuit in *discuss. XVII. Quæst. Hæc.* Cui frustra obvertitur a  
*Becmanno* in *Anatom. Univ. triumphi* P. III, c. 8. f. 130. secuturum  
esse hoc modo, quod *malitia hominis superet Dei potentiam.*  
Neque enim Deus ad homines in statu gratiæ conservandos uti-  
tur *absoluta*, sed *ordinata potentia*, & verbum, quo nititur te-  
stimonium Spiritus S. in corde nostro, dictitat, Dei misericor-  
diam non ferri in homines securos, impenitentes, refracta-  
rios, ambitione & invidia turgidos, sed ordini divino devotos.  
Ergo non diutius firmam cordis de futura felicitate persuasio-  
nem obsignat Spir. S., quam *ordo* divinitus præscriptus, &  
*media* perseverandi in statu gratiæ observantur.

S. D. G!



... non potuit, quod Resonantia est. Nunc cum  
... maius penitentiam est ipsa reseruantur, quatenus  
... potest in potestatis hunc hominem. Igitur  
... de vero dicitur, quod in hunc locum, quatenus  
... hunc locum, quod in hunc locum, quatenus  
... hunc locum, quod in hunc locum, quatenus  
... hunc locum, quod in hunc locum, quatenus  
... hunc locum, quod in hunc locum, quatenus  
... hunc locum, quod in hunc locum, quatenus  
... hunc locum, quod in hunc locum, quatenus  
... hunc locum, quod in hunc locum, quatenus







*Th. 1379*

ULB Halle 3  
002 422 239



*56,*

*W. E.*







30

*Quod felix faustumque sit!*

AUSPICIIS

SERENISSIMI PRINCIPIS ATQVE DOMINI,  
**DN. FRIDERICI AVGVSTI,**  
ELECTORATUS SAXON. HEREDIS,  
ETC. ETC.

DE  
**CONTRISTATIONE  
SPIRITUS OBSI-  
GNATORIS.**

*ex Ephes. IV, 30.*

in incluta ad Albim Academia,  
PRÆSIDE

**GOTTLIEB VVERNSDORFIO,**  
SS. Theol. Doct. & Prof. Publ,  
Extra-Ord.

*X. Cal. Octobr. A. R. S.*

MDCCCLV.

DISSERENDO VIRES EXPERIETVR  
**M. IO. LAURENTIUS WELSCH,**  
BEROLZHEMIO-FRANCUS.

VITEMBERGAE, PRELO GERDESIANO.